

et nox somni datrix a poetis, teste Serra, in suis *Synonymis*, et Beyerlinck, loco cit., § *Tempus*, vers. *Nec inseite*. (12. Et suavior evadit nocturnus somnus, si cœna hominis fuerit sobria, et parcus homo in esu et potu, juxta illud scholæ Salernitanæ:

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis,

et habetur expresse ex *Ecclesiastico*, cap. xxxi, n. 24, ibi: *Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur*.

(13. Quamvis autem sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis et orationibus, etiam diurnum seu pomeridianum somnum capere consuescunt, uti solent regulares utriusque sexus hora pomeridiana silentium indicere, et aliquantulum somni ac quietis capessere, ad id habito exemplo a nostro Salvatore Jesu Christo, qui uti solitus nocte orare, quadam die naviculam suorum discipulorum ingressus ibi suavissimum somnum capiebat, a quo suscitatus ipsos a maritima procella salvavit, *Matth.* cap. viii, n. 24 et 25, ibi: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat, et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum dicentes: Salva nos, perimus*.

(14. Quotis autem horis sit somnus capiendus? Varii variant juxta variorum varias corporis dispositiones et animi applicationes. Medici ad horas 6, 7 aut 8, constituunt, tale enim temporis intervallum sufficit concoctioni et viribus naturæ reparandis. Clericat., in suis *Spiciis*, verb. *Somno*, n. 908, refert a suo satis docto et erudito grammaticæ magistro sic didicisse: « Un buon scolare non deve dormire più di cinque

ore; un buon predicatore non più di 6; un buon padre di famiglia ore 7; un gran poltrone ore 8. » Ursaya, in ii *Miscellan. sacro et profano*, litt. S, n. 51, sic habet: « Quattro o cinque al viandante, altrettante al mercatante; cinque o sei allo studente, ed otto ad altra gente. Tutte sono al vecchio baone, nove e dieci al dormiglione, e chi più è un gran poltrone. »

(15. Somnus ex Tertulliano c. 44 *De anim.* est recreatio corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem. (16. Ex quo forsitan motus fel. rec. Paulus IV dicebat, posse ut libet somnum capere, non in hominis situm facultate, sed esse Dei donum. Indeque cum nocte aliqua obdormire non poterat, surgebat quidem e lecto, sed neminem excitabat, neque omnino alicui molestiam afferebat, ne somno, quem Dei donum appellabat, quempiam privaret, ut per hæc præcisa verba id advertit Ciacc., in ejus *Vita*, § *Vitæ puritas*, et Ursaya, *Instit. crim.*, lib. ii, tit. 5, n. 195.

(17. Et idem Ursaya, in i *Miscell. sacro et profano*, litt. S, numer. 195 et sequent. de somno, sic habet:

Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus;
Quo plus in vita dormio, vivo minus.
Stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

(18. Unde Solimanus Turcarum tyrannus, qui jurejurando promiserat, nunquam velle occidere Ibrahim ejus primarium ministrum, viventem, die 15 Martii 1535, fecit illum occidere quando dormiebat, asserens hoc modo juramentum non fregisse. Sic ex aliis refert ipse Ursaya, in ii *Miscellaneo sacro et profano*, litt. S, n. 50.

SORS.

SUMMARIUM.

1. Sors in genere varie accipitur. — 2. Sors specialiori et usitatori modo sumpta quid sit? — 3. hæc sors dividitur in divinariam, consultoriam et divisoriam. — 4. Sors divinaria quid sit? — 5. Sors consultoria quid sit? — 6. Sors divisoria quid sit? — 7. Sortes divinariæ sunt omni jure illicitæ. — 8. Sic est illicita versio cribri ad divinandos fures, homicidas, sagas, etc. — 9. Sortes consultoriæ possunt ex circumstantiis esse licitæ vel illicitæ, et assignatur quando tales sint. — 10. Sanctus Augustinus et sanctus Pater meus Franciscus, alique sancti sanctissime his sortibus consultoriis usi sunt. — 11. Apud meam variasque alias religiones adest pius usus sortiendi singulis annis et mensibus sanctum tutelarem. — 12. Illicitæ sunt sortes a gentilibus vocatæ Homericæ seu Virgilianæ. — 13. Item

(1. Sors interdum sumitur promiscue pro fortuna vel fato, juxta illud Virgilii I. iii *Æneid.*:

... Hic exitus illum sorte tulit.

Aliquando sumitur pro statu, juxta illud psalm. xxx: *In manibus tuis sortes meæ*. Sæpe sumitur pro prima et capitali pecunia

illicitæ sunt sortes a quibusdam Christianis vocatæ sortes sanctorum. — 14. Sortes divisorie extra casum electionis ecclesiasticæ sunt licitæ; dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant. — 15. Hæc sortes divisorie sunt in praxi apud omnes. — 16. Per nullam sortem fieri possunt electiones ecclesiasticæ. — 17. Affertur et solvitur objectio de exemplo S. Matthiæ. — 18. Jure merito fuerunt prohibita electiones ecclesiasticæ per sortem. — 19. Imo neque per sortem lis dirimi potest, etiamsi duo omnibus meritis ac qualitatibus æquales æqualibus votis electi ad beneficium ecclesiasticum ambo consentiant in sortem. — 20. In tali discordia quid agendum. — 21. Aliæ lites et discordiæ in causis beneficialibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente judicis auctoritate, adnum. 35.

in societatem, seu contractum collata, juxta illud Terentii in *Adelph.*:

Heu mihi etiam de sorte nunc venio in dubium?

quo sensu sors etiam accipitur leg. *Acceptam* 19, codic. *De usuris*, cap. *Conquestus* 8, De usuris. (2. Specialiori autem et usitatori modo sumitur pro eo, quod præ-

ciso hoc fine agitur, ut ejus eventu spectato, aliquid occultum vel dubium innotescat v. g. quid cuique debeat competere; seu sors est inquisitio fortunæ aut divinæ Providentiæ de aliquo contingenti humanoque evento, vel signum datum, per quod distinguantur res confusæ ab invicem.

(3. Porro hæc sors est triplicis generis, nempe divinaria, consultoria et divisoria, ut tradunt communiter doctores cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 8. (4. Sors divinaria est supersticiosa inquisitio rerum occultarum vel futurarum, quæ naturaliter sciri non possunt. (5. Sors consultoria est inquisitio divini consilii circa res agendas vel cavendas. (6. Sors divisoria est investigatio ex consensu partium, cui in dubio res aliqua tribuenda sit.

(7. Sortes divinariæ sunt illicitæ et damnatæ a jure divino, canonico et civili. Jure divino vetitæ et damnatæ sunt *Exodi* capit. xii; *Levitici* cap. xix et xx; *Numer.* cap. xxiii; *Deuteronom.* cap. xviii; *II Regum* cap. xxiii. Jure canonico prohibita sunt in cap. *Illud* 6, cap. *Cui* 7, cap. *Illos* 8, cap. *Sed et illud* 9, cap. *Si de arca* 10, cap. *Licet* 11, caus. 26, q. 2, cap. *In tabulis* 1, cap. *Ex tuarum* 2, De sortilegiis, et caus. 26, quæst. 5 per totum. Jure civili interdictæ sunt in l. *Artem* 2, l. *Nullus* 3, leg. *Eorum* 4, leg. *Nemo* 5, leg. *Multis* 6, leg. *Et si* 7, leg. *Culpa* 8, et leg. *Quicumque* 9; cod. *De maleficiis et mathematicis*. (8. Et quidem jure merito sunt sortes divinariæ damnatæ, utpote involventes tacitam vel expressam dæmonis invocationem, quandoquidem nec ex natura rei, nec ex Dei, aut Ecclesiæ ordinatione inserviunt rei manifestandæ. Et huc reducit versio cribri, qua impij quidam homines tentant divinare fures, homicidas, sagas, etc., et sic de similibus.

(9. Sortes consultoriæ possunt ex circumstantiis esse licitæ vel illicitæ. Illicitæ sunt, si fiant sine gravi necessitate, sine debita reverentia ad Deum, et sine modo proportionato: ubi enim sufficit consilium humanum, illicitum est exercitium sortis consultoriæ pro habendo consilio divino, cum hæc et similia præstentur solum divinitus, quando non potest humanitus provideri. Unde in tali casu omnis sors consultoria est irreverentia, et Dei tentatio; adeoque illicita; licitæ autem sunt sortes consultoriæ, si fiant urgente necessitate cum debita reverentia et precibus devoto ad Deum fuis, et non fiant pro officiis seu beneficiis ecclesiasticis; tales enim sortes consultoriæ per se primo non ordinantur ad cognoscenda futura contingentia, sed solum ad tollendas dubietates circa res agendas vel cavendas, quæ dubietates solo humano consilio decerni non possunt, unde licite in tali casu implorare quis potest divinum consilium per sortes consultorias, ut per eas dignetur Deus indicare quid sibi agendum sit, aut cavendum, juxta illud *Proverbior.* xvi: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*.

(10. Et de facto religiosissime et sanctissime secundum Deum his sortibus consultoriis usi sunt S. Augustinus, ut fatetur ipsemet lib. viii *Confession.*, cap. 13, et Seraphicus meus parens sanctus Franciscus, ut scribit sanctus Bonaventura in ejus *Vita* cap. 13, ibi: « Immissum est ejus menti per divinum oraculum, quod in aperitione libri Evangelici aperiretur ei a Christo, quid Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de ipso altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium virum utique Deo devotum et sanctum; sane cum in trina libri aperitione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex mundo transiret. » Et sic etiam plures alii sancti apud citatos auctores a Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Sors*, § *Apud Christianos*. (11. Hinc apud meam variasque alias religiones invaluit pius usus sortiendi singulis annis et singulis mensibus sanctum tutelarem, ut et consuescunt multæ aliæ sæculares piæ personæ.

(12. Sunt tamen illicitæ sortes consultoriæ a gentilibus vocatæ Homericæ seu Virgilianæ, eo quia, aperto Homeri seu Virgilii codice, versus, qui primo visui occurrissent, assumebantur in oraculi omen. Livius, lib. xxii.

(13. Item illicitæ sunt sortes consultoriæ a quibusdam Christianis vocatæ sortes sanctorum, eo quia ad libri sacri aperitionem, vel ad sacræ lectionis auditionem, putant aliqui vaticinium captare ex sententia inibi occurrente. Tales enim consultoriæ sortes saltim vitio vanitatis laborant, cum nullo Spiritus sancti instinctu, nulla gravi necessitate cogente, nulla ratione sufficienti ad ipsas honestandas fiant, adeoque jure merito prohibentur cap. *Aliquantum* 6, cap. *Si quis* 9, caus. 26, q. 5, et sanctus Clemens lib. vii *Constit. Apostolic.*, c. 7, dictæ prohibitionis rationem reddit, dicens hoc studium ducere ad idololatriam.

(14. Sortes divisorie, per quas ex consensu partium in dubio discernitur cui res aliqua tribuenda sit, extra casum electionis ecclesiasticæ, sunt licitæ, dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant: has enim sortes divisorias approbavit ipsemet Deus, *Num.* cap. xvi et xxxiii; *Deuteronom.* cap. i; *Paralip.* cap. xxv et xxvi. Sic terra per sortem divisa est: *Numer.* cap. xxvi; vers. 5, et cap. xxxiii, vers. 54, et cap. xxxvi, vers. 2; *Deuteronom.* cap. i, vers. 28 et 31, vers. 7; *Josue* cap. xiv. Sic captus fuit Jonathas; *I Regum.*, caput xiv. Sic deprehensus Jonas a nautis cum a facie Domini fugeret; *Jon.* cap. i. Sic detectus fuit Achan, *Josue* cap. vii. Sic sorte exiit Zacharias, ut incensum poneret in altari; *Lucæ* cap. i.

(15. Unde videmus in quotidianam praxim deduci has divisorias sortes tum a politicis et juristis, tum a canonistis et theologis ad

determinandas seu declinandas lites, ad dividendas hereditates et spolia, ad decernenda munera et officia secularia, et ad multa alia huiusmodi; quæ sortes sunt revera licitæ, si nihil superstitionis aut iniustitiæ contineant. *Proverbiorum* enim xviii expresse dicitur: *Contradictiones comprimit sors, inter potentes quoque dijudicat.*

(16. Per nullam autem sortem fieri possunt electiones ecclesiasticæ, cum sic fieri sit expresse prohibitum in capit. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, ibi: «Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes,» et in l. *Sacris* 47, cod. *De episcop. et clericis*, ibi: «Neque ex sortibus, neque ex fortuitis circumstantiis;» et concordat c. *Quia propter* 42, De election., ubi Innocentius III, præscribens modos in electionibus necessario servandos, methodum de mittendis sortibus omnino siluit, et omnes alias eligendi formas præter res ibi assignatas, nempe scrutinii, compromissi et inspirationis, decrevit penitus irritas ac nullas, ibi: «Aliter electio facta non valeat:» volens insuper quod attentantes eligere contra tres dictas formas ea vice priventur potestate eligendi, ibi: «Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.» Pirrhing, lib. v *Decret.*, tit. 21, num. 8 et seq.; Zoesius, *ibidem*, num. 5; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 8, et alii passim.

(17. Nec valet obijcere exemplum de sancto Matthia apostolo per sortem ad apostolatam evecto, *Act. apostolorum* cap. ii, c. 26, ibi: *Et dederunt sortes, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis.* Non valet, inquam, quia in c. *Non exemplo* 4, caus. 26, q. 2, expresse sic habetur: «Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum (ut Hieron. ait) communem legem omnino facere non possint (63):» tum quia etiam dato, quod electio sancti Matthiæ non fuerit facta ex speciali privilegio et manifestatione, seu revelatione divinæ voluntatis, uti factam fuisse docuerunt sanctus Dionysius, *De ecclesiastica hierarchia: sanctus Hieronymus*, in c. i *Jonæ*, et Beda, relat. in citat. cap. *Non exemplo Matthiæ*; nec ex consueta sortitione, et simul aliquo signo cælesti visibili, ut voluerunt Origenes, homil. 1, in *Josue*, et sanctus Augustinus, conc. 2, in *Psalm. xxx.* Nec facta fuerit partim consilio proprio et iudicio, et partim auxilio sortium, ut asserunt nonnulli; nec mediate ab apostolis, et immediate a Deo, ut sustinent alii volentes, quod duplex fuerit electio, mediata scilicet per suffragia, et immediata per sortem seu voluntatem Dei; sed facta fuerit talis electio per communem sortem ex usu et more Veteris Testamenti acceptam ab apo-

(63) Videtur scilicet id singulare fuisse S. Matthiæ privilegium; quia enim ceteri apostoli a Christo immediate vocati erant, voluit et Christus electionem Matthiæ sibi vindicare, ne collegis suis inferior vi-

stolis, ut defendant sanctus Laurentius Justinianus, in sermon. *De sancto Matthia*, et Abulensis, in cap. vii *Josue*, q. 41; adhuc tamen non valet hodie tale exemplum ad convalidandas electiones ecclesiasticas factas per sortes, cum ad evitandas fallacias, fraudes et astutias in electionibus per sortes oriri solitas, fuerint ex post reprobata et damnata similes electiones per sortes in citato cap. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, et in c. l. *Sacris* 47; cod. *De episcop. et clericis*, juncto cap. *Quia propter* 42, De election., ubi declaratur irrita et nulla electio, quæ non sit facta una ex tribus formis ibi assignatis, nempe scrutinii, compromissi et inspirationis.

(18. Et quidem jure merito fuerunt damnata et reprobata tales ecclesiasticæ electiones per sortem, cum sors sit meri casus, seu cæcæ fortunæ et non liberi arbitrii electionis, et virtutis, et dum ignorationi et fortuito casui adhæret, sæpe iis dimissis, qui sunt virtute præditi, eos in medium producit, qui indigni sunt, ut de illis ulla ratio habeatur, ut recte advertit sanctus Joannes Chrysostomus, homil. 2, cap. 1, ad *Ephes.*, et alii passim.

(19. Imo neque per sortem lites dirimi potest, etiamsi duo omnibus meritis, qualitatibus, virtutibus ac dotibus æquales æqualibus votis electi ad beneficium ecclesiasticum, ambo consentiant in sortem. Sic Glossa final. et abbas in cap. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis; Pirrhing, l. v *Decretal.*, tit. 21, num. 10; Zoesius, *ibidem*, num. 4; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 10, et l. i *Decretal.*, tit. 6, § 3, num. 63; Miranda, tom. II *Manual. prælatorum*, cap. 23, num. 18; Redn., *Jus canonic. politic.*, tom. I, lit. 6, num. 44, et alii. Et ratio est, quia stante æqualitate votorum (quidquid sit de æqualibus candidatorum conditionibus) nondum adest ulla electio, cum electio debeat fieri per majorem partem votorum, et non per mediam, seu æqualem partem, uti esset in casu, adeoque talis electio diceretur absolute celebrata per sortem, quod est expresse prohibitum per cit. jura in c. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, leg. *In sacris* 47, cod. *De episcopis et clericis*, juncto c. *Quia propter* 42, De election. (20. Unde in tali discordia res per compromissarios determinanda est, vel adeundus est superior, qui electores ad novam electionem vel concordiam compellat intra certum præfixum tempus, quo sine nova electione seu concordia elapso, poterit ipse superior via devolutiva eligere, ut docet Glossa communiter recepta in cap. *Duobus* 14, verb. *Teneantur*, De rescriptis in 6; Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. II *De superst.*, cap. 12, num. 7; Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 3, num. 74; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 10; Redn., *loc. cit.*, num. 44, et alii contra Glossam, in *Rubric.*, verb. *Sortes*, caus. 26, q. 1, ubi tenet posse in tali casu

deretur. Ideo apostolis internæ inspirationis afflatu auctor fuit, ut sortem ea in electione adhiberent.

litem per sortem dirimi, ibi: «Sed quæ fiunt necessitatis causa, non sunt illicitæ, ut si contentio esset de electione aliquorum, et esset paritas utriusque in omnibus, exemplo Matthiæ possunt fieri sortes,» etc., et Garciam, part. v *De beneficiis*, cap. 1, num. 205 et seq.; asserentem in certo casu ac paritate votorum tandem esse deveniendum ad sortes.

(21. Aliæ autem lites et controversiæ in causis beneficialibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente iudicis auctoritate. Pirrhing, *loc. cit.*, num. 14; Suarez, *loc. cit.*, num. 13 et 14; Sanchez, *loc. cit.*, num. 79, et alii.

(22. Et ratio primæ partis est, quia si tales lites beneficialibus per sortes componerentur propria ac privata auctoritate partium, posset fieri ut per talem sortem beneficium obtineret, qui nullum canonicum et legitimum titulum haberet contra cap. *Beneficium* 1, De reg. juris in 6, ubi expresse dicitur quod «beneficium ecclesiasticum potest licite sine institutione canonica obtineri,» et contra cap. *Cum qui unic. de eo qui mittit in possessionem*, ubi prohibetur, ut ne litibus beneficialibus aliquid fiat, per quod ad beneficia ingressus vitiosus patere possit, ibi: «Ne propter hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus.» Nam cum neuter ex litigantibus possit privata sua auctoritate aut pacto alteri dare legitimum titulum beneficii, nec constet uter litigantium habeat justum titulum, ideo stat grave periculum, ne is, super quem cadit sors, obtineat et possideat beneficium sine justo titulo. Tum quia talis lites seu controversiæ beneficialis compositio per sortes nequit fieri sine pacto et conventionem partium; omne autem pactum propria et privata auctoritate initum circa beneficia litigiosa est Simoniacum, cap. ultim. *De pactis*, c. *Quam pio* 2, caus. 1, q. 2, et concordat cap. *Super eo* 7, De transactionibus, c. *Quæsitum* 5, De rer. permut., cap. *Super hoc* 6, De renuntiati., cap. *Matthæus* 23, De Simonia, cum similibus.

(23. Ratio autem secundæ partis, quod nempe lites et controversiæ beneficialibus per sortes dirimi possint, interveniente iudicis auctoritate est, quia si partes litigantes super beneficio pactum aliquod, consentiente et approbante iudice, ineant, et juxta illud iudex sententiam proferat, vigore talis sententiæ is, cui a iudice beneficium litigiosum adjudicatum est, illud vere consequitur ex titulo sufficienti, nempe titulo et auctoritate sententiæ iudicialis, ac proinde cessat Simonia et periculum vitiosus ingressus, quia, auctoritate iudicis interveniente, purgatur utrumque vitium, et Simonia et vitiosus ingressus, quod utrumque intervenit, non interveniente in tali pacto iudicis auctoritate: sicque eadem ratione cessabit utrumque periculum, et Simonia et vitiosus ingressus, si pactum de lite beneficiali per sortes componenda, interveniente iudicis

auctoritate et approbatione sit initum, adeoque, licet dictæ lites et controversiæ beneficialibus non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente iudicis auctoritate et approbatione.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(24. De usu sortis in electione canonica aliqua tetigimus in addit. ad veri. ELECTIO, artic. 1, num. 9 et duob. sequent. Hic vero illud accuratius expendendum, an re vera Honorius III, in cap. 3, *De sortileg.*, in electione canonica omnino improbaverit usum sortis.

(25. Verba hujus capituli sunt: «Ecclesia vestra nuper episcopo destituta, circa modum electionis diversos incipientes tractatus unum tandem elegistis ex vobis per sortem. Is iterum tres elegit, qui episcopum Ecclesiæ nominarent. Nos, tali examinato processu, multa reprehensione dignum putamus, sortem in talibus perpetua prohibitione damnantes.»

(26. Negari sane haud potest Honorium III, in recitato capitulo uti verbis valde momentosis adversus sortem. (27. At enim vero plurima occurrunt, quæ interpretationem suadent, quod capitulum hoc intelligi non debeat, nisi de sorte divinatoria, conjuncta scilicet cum opinione Deum sorte recturum esse electionem.

(28. Primo enim, id vult, inscriptio totius tituli *De sortilegis*, quo verbo plerumque denotantur *Divinatores*.

(29. Deinde cum alia decreta in cap. 4 sequenti conquirenda sint, quæ sortis usum approbant, in dubio certe verba Honorii assumenda sunt de sortis abusu.

(30. Tum ipsa decreti historia id fere dicit. Quia collegæ Ecclesiæ Lucanæ, cum in electione episcopi inquirere debuissent in merita candidatorum, ommissa cura hac, fiduciam in iudicio sortis posuerunt. Quod merito illis exprobat Honorius. Si enim sors illorum fuerit lusoria, tum levitas et incuria erant accusandæ electorum. Sin autem divinatoria, tum coargui poterat superstitione, et religionis nimietas, qua in globulis fiduciam posuerant divinæ voluntatis, cum illam quærere debuissent in usu rationis meritorum virtutumque utriusque candidati.

(31. Neque est, quod dicat aliquis, Lucanos tamen non elegisse ipsum episcopum iudicio sortis, sed tantum electores, ut adeo pertinere videatur ad genus electionis, per compromissum.

(32. In promptu enim est responsio: «Qui sorte decernit electores, ille viam sortis facit electo;» neque inter hunc et casus alios quidquam interest, quam quod sortis usus concurrere possit in electione vel *immediate*, vel *mediate*, vel *directe*, vel *indirecte*. Utrumque recte omnino prohibetur. (33. Alia vero est ratio compromissi facti cum iudicio et usu rationis, alia cæcæ et superstitionis sortis. Primum admittunt canones, alterum merito refellunt.

(34. Ex his non improbabiler sustineri potest, capitulum 3 loqui non *de sorte rationabili*, cui præcessit *examen candidatorum*, non de lusoria, neque etiam de necessaria, sed *de genere sortis superstitionis, divinatiois, temerariae*.

(35. Eo vel maxime, quod in casu hoc *sortis rationabilis* metui nequit, ut homo indignus eligatur, quæ est ratio cur communiter usus sortis imprecatur. In eo enim candidati jam fuerunt missi sub examen industriæ, virtutis, litterarum. Breviter: aliud est eligere per sortem, aliud factam electionem iudicio sortis definire. Vide Natalem

SORTILEGIUM.

(1. Sacerdotes abutentes sacrificio missæ a) sortilegia, præter alias pœnas, incurrunt insuper perpetuam inhabilitatem ad celebrationem missæ ex decreto sanctæ universalis

SPADONES.

Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 2, n. 38, 39, et verb. PATRIA POTESTAS num. 7.

SPATULOMANTIA.

Vide verb. SUPERSTITIO, num. 24.

SPECTACULA.

(1. Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum et adolescentum nudorum cursus et luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab episcopis legibus-

SPES.

Vide verb. VIRTUS, a n. 21 ad 35.

SPICÆ.

(1. Spicarum collectio post absolutam messem pauperibus permittenda indicitur a Benedicto XIV, tom. I, constit. 56, incip. *Acerbi plane doloris*, directa archiepiscopis et episcopis ditionis ecclesiasticæ, in qua adducit Scripturas, quibus clarius et luculentius constat agrorum dominos ad exercendam hanc in pauperes liberalitatem Dei ipsius oraculo edoceri. Videlicet *Leviticæ* cap. XIX, ibi: *Cum messueris segetes terræ tue, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos et grana decidencia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes; Ego Dominus Deus vester*. Et rursus *Deuteronom.* cap. XXIV: *Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit ab arboribus, non reverteris ut colligas, sed relinques advenæ, pupillo et*

(64) Lib. I *De doct. Christ.*, c. 28, et epistola 180, ad *Honoratum*. Huc spectat canon. tertius concilii

Alexandr. virum antiquitatum Ecclesiæ callentissimum, qui *Historiæ ecclesiasticæ* sæculo I, dissert. 6, hanc quæstionem ex instituto resolvit, idque his tandem verbis: *« Probatur usus sortis, si modo episcopatus candidati sint digni, et ita pares, ut vix inter eos sit meritum discrimen. Quia ubi humanæ prudentiæ iudicium deficit, divina voluntas consulenda, et ejus omnia committenda providentiæ. Sic inter antistites, qui tempore pestis manere debeat, merito sortis usu indagatur, suasore Augustino (64).*

Inquisitionis edito de mandato Benedicti XIV, die 5 Augusti 1745.

(2. Alia ad rem vide infra verb. *Superstitio* a num. 33 ad 44.

que latis prohibeantur, mandat Benedictus XIV, in Encyclica ad episcopos Campaniæ, incip. *Nihil profecto; Bull.*, tom. I, n. 60.

viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli et viduæ.

(2. Adducit insuper illud *Ruth* cap. II, ubi habetur eam socri suæ Noemi dixisse: *Vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicunque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam*. Et paulo post in agrum Booz ingressam, spicas collegisse, ibi: *Itaque, et colligebat spicas post terga metentium; cum vero percontanti Booz quænam esset illa mulier, Moabitidem esse responderetur, nec deessent qui testarentur illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse. Audi, inquit, filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere; mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi; præterea tantum pii viri animus a contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantum relictas, sed integras spicas metere passus sit, jubens ea de causa messoribus: *Etiamsi vobiscum metere vo-**

Barcinonensis habiti a. 599 sub Reccaredo rege, et Gregorio M. Pontifice.

luerit, ne prohibeatis eam. Quare cum sese domum Ruth recepisset, et tantam frumentum copiam socri suæ ostendisset acceptam; illa memori ac grato animo collectas fruges datori censuit referendas, inquiens: *Sit benedictus, qui misertus est tui*. Hæc ille, loco cit., qui, *ibid.*, § 6, majori, quo potest paternæ charitatis sensu hortatur et oblectatur, ut episcopi causam pauperum, quæ causa Dei est, omni ope et conatu tueantur, in suam veluti clientelam suscipientes pauperes, dignum pietate sua zelum exhibeant, suis primum vocibus et exhortationibus, ac mandatis, etiam in singulis diocesium suarum parochiis inter missarum solemniam evulgandis commendetur egenorum causa, agnoscatque populus quam turpe ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam

SPIRITUS SANCTUS.

(1. Spiritus sancti processio a Patre et Filio est vere credenda. Benedict. XIV, constit. 47 incip. *Etsi pastoralis*, § 1 (63). Etsi autem Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronuntiare. Unde particula *Filioque* in Symbolo omitti potest a Græcis. Idem, *ibidem*. Non tamen ab Albanensibus, qui eam recitare consueverunt. Idem, *ib.* (2. Nec ab Italo-Græcis, si a locorum ordinariis, vel ob suspicionem hæresis, vel ob scandalum, vel ob

SPOLIATOR, SPOLIATUS.

SUMMARIUM.

1. Spoliator qui dicatur? — 2. Spoliatus quis sit? — 3. Primum remedium, quod habet spoliatus ad recuperandam possessionem, est interdictum *Unde vi*, et quid importet? — 4. Dictum remedium, seu beneficium, vel interdictum *Unde vi*, quibus et adversus quos competat? — 5. Secundum remedium est conditio ex cap. *Sæpe* 18, De restitutione spoliatorum, et quid importet? — 6. Tertium remedium est conditio ex cap. *Redintegranda*, 1, caus. 5, q. 1, et quid importet? — 7. Quartum remedium est conditio ex l. *Invasor* 5, codic. *Unde vi*, et quid importet? — 8. Quintum remedium est conditio ex l. *Si quis in tantam* 7 cod. *Unde vi*, et quid importet? — 9. Sextum remedium est conditio ex l. *Cum quærebatur* 11, cod. *Unde vi*, et quid importet? — 10. Septimum remedium est conditio ex l. *Exstat*, ff. *De iis, quæ vi metusve causa*, et quid importet? — 11. Octavum remedium habetur ex officio iudicis, et quid importet? — 12. Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, quid probare debeat. — 13. Dicta Regula *Spoliatus ante omnia est restituendus*, procedit, non solum quando quis vi, vel clam fuit spoliatus a privato, sed etiam quando quis est spoliatus a suo prælato seu iudice extrajudicialiter, seu non servato juris ordine. — 14. Regula illa *Spoliatus ante omnia est restituendus*,

(65) Præter Natalis Alexandri dissertationem, habes t. III *Thesauri theologici Zachariani* P. Michaelis le Quien dissertationem p. 302, *De processione Spiritus sancti*, tomo autem II, ejusdem *Thesauri* p. 525, Petri Pithœi *Historiam* habes *controversiæ veteris de processione Spiritus sancti* cum Petavii dogmatibus theologicis conferendam. Eodem pertinet

absoluta, pauperes ab agri finibus amoveri. Potissimum vero intelligant agrorum domini colligendarum spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturno usu jam invaluerat, ibique restitui omnino oportere. Ubi vero hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus inducatur in solatium egenorum, qui gravi saltem, si non extrema, laborant inopia, quique in difficultum temporum angustiis magis magisque conficiuntur. Sic idem in laudata constitutione *Acerbi plane doloris*.

(3. Spicarum egenis collectoribus permittitur sine alio libera extractio quocumque tempore in ditione ecclesiastica, etiam extra statum ecclesiasticum. Idem tom. II, constitution. 53, incip. *Quo die*, n. 11.

aliam causam requisiti fuerint: tunc enim particulam illam *Filioque* in Symbolo pronuntiare tenentur. Idem, *ibid.*

(3. Spiritus sancti imagines sub humana juvenis forma damnantur et prohibentur. Idem constit. 145, incip. *Sollicitudini*, § 10, 23, 33 ad 37. Spiritus sancti tamen imagines in forma columbæ approbantur et permittuntur. Idem, *ib.*, § 16 ad 20 et 36. Item in figura linguarum ignis uti representatur mysterium Pentecostes. Idem, *ib.*, § 21 et 36. Vide verb. *IMAGINES*.

fallit primo, quando spoliatus consentit, ut spoliator ante restitutionem super proprietate sibi competente audiatur. — 15. Secundo, quando notorium est, quod proprietate rei spolio ablata non pertinet ad ipsum spoliatum, sed ad spoliatorem. — 16. Tertio, quando spoliatus ante factam suam spoliationem libere renuntiavit dominio rei spoliatae. — 17. Quarto, quando spoliatus post spoliationem cum spoliatore pactum inivit, vel juravit sponte, quod nolit agere possessorio recuperanda. — 18. Simile autem pactum in initum cum spoliatore ante spoliationem non valet. — 19. Mulier propria auctoritate sub prætextu impedimenti a marito se separans, sicque eum possessione spoliatis, si non habet probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens matrimonii, est plenarie restituenda marito, et quoad cohabitationem, et quoad torum, donec ipsa probationes offerat preparatas. — 20. Si vero tanta esset viri sævitia, ut mulieri trepidanti non posset sufficiens securitas provideri, tunc non solum non esset ei restituenda, sed ab eo potius removenda. Et e contra si possit dictæ mulieri sufficiens securitas provideri, est ipsa ante causæ cognitionem restituenda marito. — 21. Spoliator violentus restituere debet spoliato non solum rem ablatam, sed etiam cum ipsa omnes fructus, tum exstantes tum consumptos, imo etiam illos, quos non percepit, et prior possessor spoliatus

P. Ignatii Frantz dissertatio *super formulis Græcorum et Latinorum de confitenda Spiritus sancti processione*, seu quæstio theologica, anne perinde sit cum Ecclesia catholica dicere *Spiritum S. a Patre Filioque procedere?* vel cum Græca, *procedere ex Patre per Filium*. Vide indicatum tomum III *Zachariani Thesauri*, pag. 548.